

*a) religia columnae primae
f. 5. viaea rebota sicut (8¹)
Lucca; pag. 1 ad. manus
c. 2. b/ro 33. sed expuncti*

c/carnes con carnem

Cap. Init. 8

✓/ho

✓/9. cogn. 5 cap und.

H post com. Monsanese (1)

✓/comitatis

*Cap. Init. K.
Mortennanum / Florentie*

**. 5!*

✓/dnas (del.) Dnans

monachorum. Inde surgentes, destruxerunt castra hec, silicet (1)

novissime castrum quod dicitur Rugomagnum, quod percussions expectans, noluit ex pacto parere, credens forte post vulneratam causam, remedium postulare. Verumtamen possum ego veritati testimonium utique perhibere, quoniam cum florentini non possent ipsius castelli muros ascendere, et scale deficerent, fracte iam saxis; primus de se fecit scabellum, recipiens alium super renes, et sic de renibus in renes ascendentibus, pervenerunt ad summum, resistentibus cum gladiis et securibus castellanis et ignem mixto sulphure proicentibus super eos. Evaserunt tamen ab igne, celo dante pluviam et immoderatam grandinem, carnem armis vacuam usque ad sanguinem lacerantem. Superatum est tamen castrum, ab utraque parte pluribus interfectis, et in eodem sunt capti homines ducenti et ultra.

Eodem anno, cum capti non sine dampno gravi et personarum modica lesione, in carceribus sine otio quiescerent, venerunt marturienses, qui utriusque partis tunc videbantur amici, hortantes de concordia instantissime florentinos, et ostendentes lucrum quod homo consequetur ex eadem. Dicebant inter se curaturos ita quod pacem senenses montepulcianensibus dabunt, finem et concessionem de omnibus faciendo, et iura in Podio Bonizi competentia sibi concedent. Florentini vero, licet cognoscerent vias suas, credentes tamen utendo Podio Bonizi tanquam proprio, posse quiescere, marturiensium acquievere consiliis, eosdem arbitros amicabiles faciendo. Quid multa? Expedit sub breviloquio transcurrere, cum sit labor in vanum, brevi tempore duratura [eonecordia]. Igitur breviter dico pacem esse factam et concessionem predictam supradicta forma et divisionem comitatus utriusque civitatis certis finibus designatam, super podium quod dicitur Monsanese, pro memoria rei geste et maiori in firmitate invitatis, et presentibus episcopis, abbatibus, pluribus religiosis, potestatibus Tuscie civitatum, comitibus, proceribus, nobilibus et ad maiores firmitatem, teste Deo, per quem omnia observare iurarunt: sanctissimo Innocentio papa omnia feliciter confirmante.

Recuperavit enim Florentia ius suum, neminem iniuste ledendo. Oppidum vero Mortennanum (2) dictum, florentine iurisdictionis, Deum non timens, nec hominem reverens, quasi iuxta sidera mansit, et parere dignans, florentinum spernebat examen, iudex et executor existens. Florentini vero futuram infamiam quiescere potius optabant, quam illatam iniuriam, valde fessi, incipere vindicare. Cum autem permissione Dei, qui iniuriam illatam sibi quandoque per alias ulciscitur non rogatos; cum urbevetani mercatores cum bestiis et rebus aliis per districtum Florentie secure transirent; domini castelli predicti obviam venientes eisdem, ipsos de rebus omnibus expoliarunt, in Dei et hominum contumeliam, et florentinorum iniuriam non modicam et gravamen: res ipsas, ac si pertinerent ad eos iure dominii, distrahere posse credentes, et in suos usus ac si essent magnis laboribus acquisite, convertere. Urbevetani vero, ut provincie diuturni mores expostulant, cum fuissent in districtu Florentie, sibi restitui ablatas instantissime postulant. Dominans autem civitatis, cum nulla obstaret exceptio, litteras direxit dominis antedictis in hunc modum:

(1) Nel Ms. è lasciato bianco lo spazio di tre versi. Tra i castelli presi e disfatti dai Fiorentini, nomina il Malavolti (*Stor. di Siena*, part. I, pag. 45) Valcortese, Torre a Castello, Campigliuola, Laticastelli, Castiglion Baroti, Monte S. Maria e Rapolano: di Rigomagno non parla.

(2) Castello degli Squarcialupi, posto presso Staggia, a 10 miglia da Siena.